

Ye  
4950

A 4. 150. 10. II. 829.  
VERA  
SITT AVIAE,  
REGIÆ SUPERIORIS  
LUSATIÆ EΞΑΠΟ-  
ΛΕΩΣURBIS, PATRIAЕ  
SUÆ SIBICARISSIMÆ,

EFFIGIES,

Pictore  
AUGUSTO JUSTO MISENO;

*Bon. Art: p. t. Lipsiae. Studioso.*

ANNO SALUTIS.

M. DC. XII.



ZITT AVIAE

BIBLIOT

ICA  
ANA

Excudebat Johannes Venator..

(4204 4442)



VIRIS  
Magnificis, Amplissi-  
mis, Consultissimis,  
Dn: ALBERTO ENGELMANNO.  
Dn: MARTINO HOPSTOKIO.  
Dn: DAVIDI GEBHARDO.

COSSS:

Dn: SIGISMUNDO KINDLERO.  
SYNDICO

&

Reliquis Regiae Sittaviensium.  
Reipub. SENATORIBUS  
DIGNISSIMIS,  
PATRIÆ PATRIBUS, ET PATRONIS suis.

*Hanc Patriæ cariss.*

*Effigiem.*

*Qualem qualem animi grati notulam,*  
*humiliter offert.*

A. J. M.



# SITTAVIA.

**N**escio, qua natale solum dulcedine cordis  
Interiora levet; queis nescio viscera  
flammis  
Excitet, aut teneras, quibus hauriat osse medullas.  
Non reprobādus amor; non casta hæc flammula casto  
Laudis amore caret; nec inutilis illa voluptas.  
Ethnica namqs retro videoas monumenta, videbis  
Quid Patriæ communis amor: quid jura requirant:  
Quidqs tot invictos tristīcum funere viētos  
Merserit in præsens, invictamente, periculum:  
Quid generosa virūm tot pectora adire labores  
PRO PATRIA inumeros, scriptisve extollere  
laudes

Ursurit, & serâ monumenta relinquere genti:  
Scilicet innatum est hoc omnibus, omnibus idem  
Est amor, & natalis humus, cœn sanguine juncta,

A 2

Ven-

Vendicat ingenij sibi dotes, vendicat artes,  
Vendicat ulterius, vitali stamina fuso  
Ducere, vel vegetos cum funere fundere tractus.  
Me, fateor, totum naturæ, PATRIA, vinclis  
Arctius usq; tibi connectis, ut altera vitæ  
Portio, Pars studij, sis metaq; habenda laborum.  
Qua ratione tuas cogor depingere laudes  
SITTA, tibiq; meos versu testarier ignes.  
Da veniam hanc venæ, concepta recludere  
mentis.

MOME, nec indignum te carpas judice canticum.  
Non licet hoc nævis careat; tamen undiq; justa  
Nec ratione caret, nec abest pia causa labori.  
Sic Phyliræ Maior quondam testatus amorem,  
Fabricius Mysis: quamvis ea terra Poëtas  
Edidit haud illos, Tu sed mihi dignior illis  
SITTA Patrem, genium genijq; alimenta dedisti.  
Ut quamvis genio dictis sim vatibus impar:  
Partamen impulsu, causa sim major utroq;  
QUO sita SITTA loci, positum, si limite  
recto

Colligat attentus mensur, pars dextera campi  
Qua revoluta dies rutilantibus undiq; abundis

Sur-

Surgit, ad antiquas SILESORUM extendit urbēs.  
Altera Pars MYSOS, quā fessus ab axe ruit Sol,  
Annuit; ast Medium qua Lumen lumine terram.  
Illustrat, claros compendia recta viarum  
Flectitat ad BOIOS; Et huic contraria partim  
VANDALICOS tibi monstrat agros, LUSATIA  
partim,

Oppida, quæ nostris majoribus inclita dicta est  
Nissana: ast MAIOR reliquis hæc urbibus ha-  
rum

Et genere, Et forma non ultima SITTÆ putanda  
est.

ANTELares Patrios, extructaq; mænia SITTÆ,  
Sylva erat omnis ager; tantum domus unica subter,  
Qua jactata viis, Et itinere turba, quieti  
Membradabant, Et equis subiecto stramine pa-  
stum.

COENOBIUM h̄ic ingens primū MANFREDIA  
Conjux

Condebat, donis opulentum, Et munere, cuius  
Ostiater centum surgebant, tectaq; cuso  
Ære caput summo templi de vertice turris.  
H̄ic sacris ædes epulis, h̄ic ariete cæso

A 3

Do-

Dona Patres soliti festis adponere mensis.  
Hoc primum in luco novares oblatam: superbis  
Regibus omen erat, primos attollere muros  
Urbis extrectam longo aggere cingere fossam.  
NAMq; ubi post partum non tactæ Virginis Anni  
Mille viginti aderant, Regis Bojæ, ordine Quinti  
OTTOGARI ductu, ducto per gramina sulco  
Effodere loco signum, quo mania SITTÆ  
Sunt ferro gravibus primum circundata saxis.  
Ergo tibi genitrix Manfredia Sittava, SITTÆ,  
Ottogarusq; Pater Nomenq; solumq; dedere.  
Ast Pater Altipotens, toto quem corde colebas  
Incrementa tulit Regum conjuncta favori.  
VIX etenim positis ierant tria secula portis:  
Urbis augusta nimisq;, Angustaq; turba colonum  
Artificumq; manus, structis modo manibus am-  
plam

Ad latus adjungunt, hodierno ex ordine, partem.  
Ut tua nî superet prænobilis oppida Nile:  
Oppida Lusatiæ superet tamen omnia terræ  
Picta foro, satis ampla vias, sine sorde plateis.  
HINC etiam census cui SITTÆ ferebat, & Vrbi  
Quæ sacra jura dabat, Boiæ de sanguine Regum  
Tra-

Traducis in morem successus & jure perenni  
Regia erat soboles, quam non virtutis egentem.  
Abstulit atra dies; cuius post funera Virtus  
Splendida cælabat præclaris marmora gestis.  
ADDE quod Augustis quondam quoq; PATRIA  
jure

Cæsaribus subiecta fuit Tibi CAROLE QVINTE.  
Regibus atq; Abavis, Tibi MAXMILIANE Mo-  
narcha,

Atq; Beate Tibi RODOLPHE secunde, per annos  
Ter denos pluresq;. Tuo sub Numine & Vmbra,  
Ceu tener alarum matris sub tegmine pullus,  
Floruit, adversis fortuna & tuta procellis.

Atq; Tuo, ò CÆSAR, vitalis ab ubere succus  
Fluxit & est Patriæ teneros diffusus in artus.

Dummodo SITTÆ Tibi meruit subiecta benignos  
Quærere, Cæsarea Virtute fideq; receptus.

Omnipotente DEI Magnum sub Numine Numen  
More Patrum cessa, satis exantlasse labores  
Imperij: tua Sceptra, Tuum diadema, globumq;  
Magnanimo committe Viro, Qui sanguine diros  
Hostili subito comprendat cornua tauros,  
Atq; potens terebret candenti rostra capistro.

Sic

Sic quoq; TE, CÆSAR, post fata superstite, fatis  
SITT A perenniserit, nec huic metuenda pericli  
Improbavis; Nomē modo senserit aure RODOLPHI  
Turba mali studiosa, malo suffusa rubore  
In caput, inq; pedes proprios data damna retexet.  
ALTER A SITT AVIÆ dictæ modò proxima cura  
Est Patriæ PATRIBUS, Patriæ de sanguine lectis  
Eximiis pietate Viris, studiisq; juvandi  
Quos veneranda tegit, pulcri diadematis instar,  
Canities, niveis notet ut sub floribus Urbis  
Jam florere bonum, jubeatq; recondere fructus  
Quos sacer autumnus, quos turbaq; promtior aëlis  
In commune Bonum, magno cum pondere, mittat.  
Quos modò si pictos referat tibi pictor adora  
Te, certò credas, quondam veneranda videre  
Nestoris ora sacri; sed quis, licet arte superbis,  
Interiora Virūm, queis clarent, munera Vates  
Enumerare queat; quem si facunda sororum  
Vena; mei ingenij prohibet me talia stillans  
Guttula, cum sacri præclara scientia juris  
Tum pietasq;, Themisq;, fidesq; Paternaq; cura  
Morigeras Patriæ insoboles, tūm vindice flammā  
Fnea mens versus legum qui frena repellunt.

Tur-

Turba frequens Patriæ testaberis incolâ terræ  
Omnia, Concordi concordia carior Vrbe,  
Atq; Patrum Patriæ, prolisq; reciprocus ardor.  
Namq; fide fidi semper confisa senatus  
Artificum variata cohors, generosa caterva  
Indigenūm in Patriam varijs confluxit ab oris.  
Utq; ducis sonitus modo cæra castra sequuntur  
Filius ac ductu nodum glomerantur in unum.  
Sic glomerata manus concordi corde, manuq;  
Fussa, ducum lituos, & mores usq; secuta  
Omne quod officij lex non violanda requirit  
Exequitur: sic fervet opus, sic cuncta beatus  
Exitus acta probat, sic stat benedictio factis.  
Hinc etiam ordo, Bonum, quo nil reperitur in Vr-  
be

Clarius, ante lares & Publica tecta vigorem  
Haurit, & ex alijs SITT AM recte ornat agendo.  
Ornat agendo FORUM: sic Paxq; Themisq; fugata  
(Ate præclaras spargente duella per Vrbes)  
In vicem in amplexus junguntur ab ordine: & or-  
do

Arctius ad Patriæ conjungit amore Parentes  
Subdita corda Virūm, queis culmina celsa duobus

B

Res

Res parva & sursum tolluntur Curia binis  
Semper ab adversis floret bene tuta procellis.  
Ornat & Ordo SACRAM SITTÆ venerabilis  
ÆDEM.

Concio namq; frequens fundentis ab ore ministri  
In populo sacri succedit Fomitis ignes  
Ac fidei verbo flamasq; alimenta q; subdit.  
Concio sed faciles moveat n̄ publicamente,  
Mane sacris pubes precibus se sistit habendis:  
Et benedicta DEO tenebrosa silentia noctis  
Præterisse sibi Satanæ sine fraude doloq;  
Multæ super Patria rogitat, pro CÆSARE mul-  
ta

Nil proprij celata mali. Caput inde recenset  
Atq; secat docte, quod præbent Biblia, Myſtes.  
Hinc ubi non aredit, post hora secunda diei;  
Ecce Latina cohors Psalmi modulamine laudes  
Et Magni pia facta DEI ore & pedore cantat.  
Hora ubi quarta leves percussa reverberat auras  
Usq; iterum ad festas mixtim concurritur aras,  
Et prece quod fatis portendunt tempora damnum  
Plorat & afflictis longè de finibus arcet  
Mens attenta sacris & flexo poplite palma.

Or-

Ornat & Ordo facer PATRII sacra viscera Ludi,  
Et caput, atq; pedes, pubem præcepta q; docta—,  
Nil nisi nomen abest, Academia parva meretur  
Dicier ante alios Schola præstantissima ludos.  
Novit id Illustris Comitum, Generosa Baronum  
Nobilis atq; Equitum soboles, quæ castra Sororum  
Dicta q; docta virum magna cum laude frequentat.  
Novit id extremis versans studiosa juventus  
Finibus Vngariæ, scit idem Austria, Misnia, Boja,  
Quæ sua SITTAVIÆ concredit pignora Ludo  
Erudienda animos. Tua fama, faventibus Austris,  
Rector in Orbe volat, nec sera memoria laudes  
Gerlachias unquam merito sine honore relinquet.  
Cætera sed fileam, nî forsitan vera locutum  
Auribus attribuisse aliquid sententia vulgi  
Judicet, ac falsi sic criminis arguar insons.  
Justiciæ pars est; meritis ornare merentes  
Laudibus, ac cuivis præstare encomia famæ.  
Sic quoq; Fœmineum, versu depingere sexum  
Mi Themis, & Generis pietas, præstantia formæ  
Sedulus atq; labor, laribus quem consecrat, iustos  
Ante focos patrijs dum fervet messis in umbris,  
Porrigit & calamos mixtos & ab arte colores;

B 2

Sed

Sed pudor aspectum me surripit, atq; rubore  
Percita mens tremulos genij mihi deprimit artus.  
Attamen eximiae, quas fæmina pollice merces  
Fixa colo, ductis torrenti è gramine filis  
Conficit ac precio peregrinas mittit in oras,  
Hæ meritæ pars laudis erunt, non ultima sexus  
**Gloria**, ad altricis quoq; terræ encomia spectans.  
Namq; tibi Phylire dives quod mercibus addit  
Institor; hoc Patriæ nec iniquo fæmina lucro.  
Hinc quoq; civis agros Sittana suburbia circum  
Ceruleum video as lini pallere colorem;  
Triticea quamvis careant nec prole salaces  
Glebae, nec patrijs sparsum far desit in agris,  
Hordeaq; ingenti mittat cum fænore campus.  
Blanda sacrûm streperis nemorum sub frôdibus um-  
bra

Nec gelidam fessis cursu negat artibus auram,  
Nec varijs avium dulci certamine cantus.  
Sylva etiam multos paulùm truncata per annos  
Et patrijs alimenta focis & ligna ministrat:  
Quëis dulcem lupuli Vulcano decoquit humorem  
Ac folijs undam calido despumat abeno  
Civis, & urgentis varijs vita efficit usus.

Hinc

Hinc dat apros, cervasq; agiles, leporesq; fugaces,  
Pennigerumq; pecus, quod vis manifesta vel astus  
Implicat, & dapibus præbet consumere denti.  
Quid Nemora in domibus peregrino flore superba?  
Quid sacros referam lucos? qui mœnia circum-  
Delicijs, ubi floret humus nasumq; oculosq;  
Afficiunt, qui, sera redux ubi dicitur æstas,  
Grata virūm cupidis præbent bellaria buccis.  
Sed Bona fortunæ quæ fallax omnia fati  
Datq; rapitq; fides, modò quæ bene flātibus Austris  
(Cèn tener in campis humili caput exerit herba—  
Caulis & enato jaëtat cum flore colorem—)  
Alta levant sursum magnas ad sydera vires  
Dum modò flat tenuis stridensq; Aquilonibus aura  
Hisq; adversa fremit, lapsu graviore ruinam—  
Dant subito & cineres modò quæ viguere, salutant,  
Conticuisse juvat, memorine talia menti  
Tristitia nova causa siet, nec venula carmen—  
Atq; simul lacrumas tristi profundat ab ore:  
Sic Patrios fileam verbis extollere Muros,  
Obsita præsidij loca & undiq; ad æthera turres  
Extruëtas, quas tempus edax, quas dirimit hostis.  
Sic quoq; Pieta fori, sic regia tecta Senatus

Auratasq; trabes, Epicedia & Organa templi  
Et decus omne, aliquid clar& quod collocat urbi  
Nunc retulisse piget. Manet alta mente rep&stum  
Exitium patri&, dir&q; injuria flamm&.  
Prædia sic sileam, sic septas aggere villas,  
Omnia fortuna& quovis cum tempore blanda  
Stentq; cadantq; fide nec quid durabile constet.  
Qu& modò si videoas, hunc dixeris, omnia in unum  
Confluxisse locum, quicquam nec abesse honorum  
Lumina quod pascat, quod nasum, quodq; palatum,  
Aut animos ver& pietatis & artis amantes.  
Asperitate carent mores, fastuq; coloni,  
Fraude doloq; animi: stat candida simplice cultu  
Simplicitas populi, tamen haud ignara leporis:  
Arte levat miseros, & opis compendia monstrat,  
His eris illustris mibi pauper & Advena testis.  
Ast una ut reliqu& comprehendam voce: Sophorum  
Judicio ante alias felix censeberis Vrbes  
Patria, Te quoniam fidi quia cura Senatus  
Cura DEI & Ratio dispansis protegit alis.  
Ut licet immineat quidam cum grandine ventus,  
Fisa tegente DEO, præsenti Numinе Patrum  
Grandine tuta satis nullo quid læsa periclo

Ho-

*Hostibus illudas vanas sine viribus iras.  
Te belli furijs, & tristi peste solutam,  
Aurea Pax foveat. Foveat Te Patria Pacem.  
Sic Pietas quæ pace viget cum pace vigebit.  
Hostis & aduersi metuet quid necere portis,  
Dum pietas agger, concordia fossa, Deusq;  
Rector erit, Ratio cum legibus arma manusq;  
Sic quoq; larga sinu te divite copia pascet:  
Dumq; animos Verbo, Musis dum pectora pascis,  
Pace lares, sacros cum relligione Penates:  
His æterna Vale. Te namq; valente valebit.  
In te qui valuit. Qui Te, dum vivet, amabit.*

F I N I S.

QKye 4930

Wora

25



a K 159

V  
S I T T  
REGIÆ SU  
LUSATIÆ  
ΛΕΩΣURE  
SUÆ SIBI

E F F I

Pi

AUGUSTO Ju

Bon. Art: p. t

ANNO S

M. D

Z I T T

Excudebat Joh



Kodak

LICENSED PRODUCT  
Black

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
Centimetres  
Inches

II.829

50

CA  
NA